













16  
1.  
2  
1  
20  
31  
40  
50  
60





1696.

1. Bodinus, Henricus, Prof. jur. . . . Decanus: Programma inaugu-  
rale de fama, quo ad lectiones cursorias Dr. Henrici Ernesti  
Kertneri, . . . quas ad tit. ff. de his qui nos. infam. . . .  
habebit . . . . inventas.

2<sup>a</sup>. Bodinus, Henricus: De jure inhumaniori. 2 Exempl.

3<sup>a</sup>. Bodinus, Henricus: De conditione temporis impleta. 2 Exempl.

4<sup>a</sup>. Bodinus, Henricus: De contractibus summarum potesta-  
tum. 2 Exempl.

5<sup>a</sup>. Bodinus, Henricus: De collatione successionum libero-  
rum. 2 Exempl. 1696. 1757.

6<sup>a</sup>. Bodinus, Henricus: Disputatio juridica inaug.,  
exhibens vindicias pactorum juris Romani et demon-  
strans nec hodie ex nudo pacto actionem competere.  
3 Exempl.



1696.

7<sup>o</sup> <sup>o</sup> Bodinus, Henricus: Disputatio juridica in qua, exhibitus  
errores communes circa matrimonialia. 2 Exempt. Acc.  
1698 et 1705.

8<sup>o</sup> <sup>o</sup> Bodinus, Henricus: De obligatione forensi juris Divini  
2 Exempt. 1696 et 1711.

9. Bremeyser, Eius Rudolphus: De utilitate studii histo-  
rici ex jurisprudentia tum Divina tum humana.

10<sup>o</sup> <sup>o</sup> <sup>o</sup> Bremeyser, Eius Rudolphus: De inutilibus pactis  
juris Romani Divisionibus in foris Germaniae.  
3 Exempt. 1696 et 1724.

11<sup>o</sup> <sup>o</sup> <sup>o</sup> Bremeyser, Eius Rudolphus: De praestatione eversionis  
in cessione nominis, secundum principia juris  
naturalis et Romani. 2 Exempt. 1696.

12. Buddeus, Jo. Franciscus: Rationem status circa  
severa... publice Divinet..



13. Cellarius, Christophorus: Flavi Josephi de Herodibus historia.

Rec. 1700.

14. Hoffmannus, Fridricus: De purgantibus specificis.

15. Kestnerus, Henricus Ernestus: De jure correspondentiarum

2 Ventr.

16. Schneider, Joh. Fridmannus: Religio ex pers imperii

... ostenditur.

17. Simon, Joh. Georg: Facet. jur. ... prolocutus: et

lectiones cursorias de eo, quod interest Factu l. 1. 13 ff.

Rat. Rem. Hab. ... et disputationem inaug. de uno

pro omnibus, a Zacharia Aculutho ... habendas ...

ingrat.

18. Simon, Ju. Georg: De uno pro omnibus.

19. Simon, Joh. Georg: Facilem humanam et similitudinem

pulchritudinis caelestis figuratam occasione l. 17. si

quis l. de poenis ... publicae ... ventilatiōni tra-

ponit.



19<sup>a</sup> Stahl, Georgius Smetus: De autaegetia naturalis  
sive spontanea morborum excussione et convalescen-  
tia.



DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS

*Exhibens*

1696, 7<sup>a</sup>  
12  
**ERRORES COM-  
MUNES CIRCA MA-  
TRIMONIALIA,**

*Quam, Favente Summo Numine*

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO*

**DN. FRIDERICO  
WILHELMO,**

ELECTORATUS BRANDENB. HÆREDE &c. &c. &c.

*AUTORITATE ILLUSTRIS FACULTATIS JURIDICÆ*

P R Æ S I D E

**DN. HENRICO BODINO,**

Potentissimi Electoris Brandenburgici Con-

filiario Ecclesiastico in Ducatu Magdeburgensi gravissimo, Profe-

sore Juris Ordinario, Celeberrimo, & Facultatis Juridicæ

*h. t. DECANO,*

*PATRONO SUO COLENDO,*

**PRO LICENTIA**

Summos in Jure honores & privilegia consequendi

D. XXIV. Mart. horis ante & pomeridianis

IN AUDITORIO MAJORI

*Publicæ Eruditorum examini submittit*

**JOHAN HELFRICH SANDRA,**

Hasso Casselanus.

HALE MAGDEB. Literis Christiani Henckelii, Acad. Typ.











## F. N. D. N. F. C.



**Conjunctionem maris**  
& feminae, a natura esse, quam etiam hæc omnia animalia docuit, non solum Juris-Consulti, sed & Theologi ac Moralistæ, uno fere ore omnes contendunt, idque tam ex naturali instinctu, quam ex dispositione & organis ad hoc a natura concessis, aliisque naturalibus rationibus, sat evidenter demonstrant; Sicuti vero nullus conceptus juris, in solo materiali actus absolvitur, sed in moralitate aut justitia ipsius, tanquam forma consistit, ideo circa hunc naturalem actum, homini utpote præ cæteris animantibus intellectu prædito, præprimis cogitandum, quomodo illa conjunctio maris & feminae voluntati creatoris, ordini naturæ ac civili societati conveniat, quæve in illa justa sint nec ne. Hic autem licet dicta conjunctio tam naturalis sit, ut sine illa genus humanum conservari prorsus non possit, ac in prima creatione Adamus, eodem quo Evam suam vidit primo momento, statim cognoverit, hanc esse cum qua in unam carnem coalescere eique cohærere debeat, & inde ad omnes gentes propagata fuerit arctissima illa societas, quam nuptialem seu conjugium vocant, nondum tamen (quod in

A 2

re



re tam naturali admirandum ) inter eruditos convenit, in quonam verus conceptus moralis hujus societatis consistat, vix uno atque altero ex indubitatis principiis demonstrante, quid sit conjugium? quomodo ineatur? & quinam sint ejus effectus? quod quidem fere absurdum videbitur, cujus tamen veritatem, pro temporis modulo, sequentes paucae ostendent pagellae, quas contra communem errorem conscriptas Tuo, Benevole Lector benigno patrocinio commendo: Propositurus primo fundamenta errorum & inconstantium opinionum circa matrimonialia; secundo conjugii verum conceptum ac definitionem; tertio quomodo illud contrahatur & denique quinam sint potissimi circa hoc errores, & quidem haec omnia extremis quasi lineis, & in generali sciagraphia, ulteriorem ejus deductionem aliis relinquens.

Th. II.

Quod autem in matrimonialibus, Dd. vulgo, partim in absurdas, partim religioni nostrae non conformes vel etiam incertas & dubias incidant opiniones, illud ex eo videtur ansam sumfisse, quod certa lege & indubitata norma ad casus obvenientes decidendos, destituantur; nonnullis arbitrantibus in matrimonialibus tanquam causa spirituali atque Ecclesiastica, Jus Canonicum esse sequendum vid. Carpz. Jurispr. Eccles. L. 2. def. 14. n. 12. & seq. cum aliis ibidem alleg. Brunnem. in jure Eccles. L. 1. c. 3. §. 4. Aliis & quidem plerisque, praesudicio auctoritatis, tanquam fundamento plerorumque errorum, nitentibus, allegando suum Cypræum, Beustium, Dedekennum, Carpzov. Broverum, Pruknerum, aliosque quamplurimos, non investigantes, qua solida  
ratio=



ratione hi assertiones suas fundaverint, sed illos nominasse pro decisione sufficere putantes. Aliis moribus Provinciae, legibus Ecclesiasticis & arbitrio judicantium rem committentibus.

Th. III.

Quia vero quoad primum indubitatum est, jure Canonico matrimonium pro sacramento haberi, vid. *cap. I. X. de Sponsa duor. cum simil.* ac in illo dominatum si non tyrannidem clericalem & pontificalem praepri-  
mis intendi, & huic fundamento pleraque illius juris dogmata niti, haec autem omnia ab Ecclesia nostra rejiciantur, facile apparebit, quam minus apte illud Pontificum jus, in societate tali ex qua omne Reipublicae imo & ipforum contrahentium temporalis & aeterna salus dependet, hic pro norma adhibeatur, & licet B. Brunnem. pro singulari pietate sua alleg. loc. cum aliis Dd. illam assertionem de authoritate juris Canon. circa matrimonialia, temperare velit illa limitatione, quatenus dictum jus cum pietate conveniat, tamen haec limitatio totam thesin de authoritate juris Canonici iterum tollit, ac rem aequae incertam relinquit, cum semper remaneat quaestio, quid in obveniendi casu pi-  
um sit nec ne, pro qua pietate investiganda, aliud & sublimius jus quam Canonicum erit quaerendum, praepri-  
mis cum in multis matrimonialibus controversiis ipsum jus Canonicum, partim propter contradictiones, partim propter absurdos & ridiculos textus, de quibus tot. indicem collegit Bruckn. *Decis. matrimon.* pro certa norma haberi non possit.

Th. IV.

Quod authoritatem Dd. attinet, constat, quam

A 3

fal-



fallax hoc sit fundamentum; Nonnullis ex præcon-  
cepta opinione; Aliis ex erroneo quod pro firmo præ-  
supponunt principio; aliis pro favore partis & largi-  
tionum quantitate, respondentibus vel decidentibus,  
ut hic, quemadmodum in aliis, observare liceat, vix  
tam absurdam reperiri hypothesin, pro qua non hujus  
vel illius Doctoris possit allegari authoritas, uti ex col-  
latione Bruckneri *Decis. matrim. & aliorum* patet, & li-  
cet maxime communis aliqua opinio videatur, ut plu-  
rimum tamen cæco assensui ortum suum debet, & sic  
infallibilitatem opinionum aut traditionum Dd. quam  
contra Pontificios in aliis disputamus, ipso facto ad-  
struimus, ne dicam quam sæpe opiniones communes  
contra communes allegari contingat; ut videre li-  
cet apud Sanchez *de matrim.* & authoritatem unius vi-  
ri in aliqua provincia, opinionem communem facile  
gignere, quæ in alia provincia, ubi alterius fama præ-  
valet, contraria opinione refutatur.

Th. V.

Quod mores & leges Ecclesiasticas partim ge-  
nerales, partim certarum provinciarum in specie at-  
tinet, illæ etiam societatem hanc, utpote in se natura-  
lem, omnibusque hominibus communem, absolute de-  
terminare non possunt, neque enim quæ jure divino  
naturali vel positivo uxor est, per statutum talis desi-  
nere esse potest, cum naturalia jura sint immutabilia,  
neque statutum solum, vinculum conjugale inducere  
valet, sed solum, sicuti in aliis actibus naturalibus con-  
tingit, quoad externam civilem honestatem aut utilita-  
tem publicam, accidentalem formam superaddere po-  
test, quo non observato, transgressores vel in pœnam  
civi-



civilem incidunt, vel simul externa assistentia & effectu in foro externo destituuntur, manente nihilominus vinculo naturali & divino, quod non minus Ecclesiastica coërcitione conservandum, quam conscientiam in foro poli sat arcte obligatam tenet.

Th. VI.

Et si res ad arbitrium judicantium remittenda, videbis vel præjudiciis minus fundatis, vel favore aut odio, vel vestigio hujus aut illius in certa religione aut districtu receptæ opinionis, sine consideratione, utrum illa opinio solidum fundamentum habeat nec ne, causas decidi. In hac vero materia, præjudiciis, observantia fori, aut rerum judicatarum autoritate, negotium quam maxime ad jus naturale & divinum perti-  
nens definire, res admodum periculosa si non im-  
pia est.

Th. VII.

Hinc tandem concludimus, essentialem & transcendentalem conceptum cujuscunque conjugii, ab initio mundi usque huc, sine ulla distinctione vel religionis aut gentis, aut quarumcunque legum aut morum civilium, ex Dei sanctissima voluntate esse desumendum; quæ voluntas partim ex ipso ordine naturæ, partim ex institutione expressa dictæ societatis, colligenda erit: Ordinem naturæ quod attinet, videmus differentiam sexus inter animantia ad propagationem sui similis, & sic conservationem ipsius naturæ, introductam esse; unde quæ hoc fine prorsus destituuntur, societatis hujus nomen non merentur, licet in tali societate rite semel constituta, Deus pro sua ineffabili benignitate, homini pro statu naturæ ejus corruptæ, ad evitandum majus malum, quædam indulserit, quæ  
alias



alias extra prædictam legitimam conjunctionem, prohibita & turpia sunt, quo referendum dictum Apostoli. *1. Corinth. 7. v. 2. & seq.* obscortationem habeat quilibet suam propriam uxorem. conf. Excell. Dn. Thomas. in *Jurisprud. Divina. L. 3. c. 2. §. 71. & §. 166. & seq.* Non tamen promiscuus concubitus aut foetatio mulieris cujuscunque, huic ordini naturæ conveniens est, sed quoniam vir, ut post Deum autor vitæ prolis suæ, de ejus conservatione, ad scopum naturæ merito sollicitus esse debet; mulier quoque ad finem hujus societatis obtinendum corpus suum ad usum mariti concedere *1. Cor. 7. v. 3. & seq.* imo & vitæ periculum subire debet, ut sit quasi viri sui terra in qua seminat suum semen, ideo propriam quisque uxorem habeat, de cujus corpore ex Dei voluntate ita disponere possit, e contra eidem bene prospicere, illamve tueri debet, & quia arctissimo quodam vinculo seipsum cum illa communicat, neque talem semel in usum acceptam in integrum restituere potest, illam invitam repudiare, nec ex lege Dei, consentientem licet, prorsus dimittere, & omne vinculum quod inter ipsos semel legitime introductum, rursus tollere nequit *Matth. 5. v. 32. & c. 19. v. 8. Marci 10. v. 4. & seqq.* Sed potius illam in perpetuam vitæ sociam retinere, & sic ambo conjunctim de prolis suæ educatione, & cæteris ad vitam necessariis prospicere merito obstricti sunt, quo pertinent dicta *Genes. 18. v. 19. Deut. 6. v. 6. Eph. 6. v. 4. junct. 1. Timoth. 15. v. 8.* & hanc indissolubilitatem vinculi conjugalis, omnium fere gentium mores confirmant, imo ut de illa certiores simus, nec excusationem habeamus, accessit lex Divina expressa tam veteris testamenti in prima institutione *Genes. v. 24.* quam & novi fœderis *Matth. 19, v. 9.* cum simil.

Th. VIII.





Th. VIII.

Ex dictis sequitur ad matrimonii essentiam requiri uxorem esse propriam viri, vid. *1. Cor. 7. v. 2.* & ita illam demum nuptiali vinculo junctam prædicari posse, in quam vir tale proprietatis jus legitime nactus est; Cum autem talis proprietas ex nuda promissione nec naturali jure oriatur, conjux non dicenda, nec pro vinculo conjugali æstimandum, nisi ubi talis actus intervenit, ex quo de illa plenaria proprietate constare possit, & sic illam demum uxorem vocamus, quæ tradita est sub oculos & custodiam mariti ad propagationem generis humani, ut omnibus innotescat hanc esse hujus viri uxorem vid. Hugo Grot. de *J. B. & P. lib. 2. c. 5. n. 8.* vid. *Can. si quis despons. C. 27. qu. 2.* & matrimonium recte ab Imperatore *§. 1. Inst. de Patr. pot.* dicitur viri & mulieris conjunctio individuum vitæ consuetudinem continens, dummodo conjunctionem huic negotio aptam intelligamus, scilicet talem quæ pro obtinendo naturali fine conjugii, id est procreatione sobolis ex legitime ad hunc finem acquisita proprietate orta, habilis est.

Th. IX.

Talis autem conjunctio per jam dicta non ex nuda promissione (licet hæc tanquam titulus, proprietatis præcedere debeat) sed ex actuali attributione qui gallis dicitur appropriation, *gänzliche Zueignung und Eigenthumb* (tanquam modo transferendi proprietatem) inducitur vid. *cap. 31. X. de Spons. & cap. 1. & 3. X. de Sponsa duor.* Ex quo facile sequitur, quomodo intelligendum, quod Ulpianus *l. 30. ff. de R. J.* dicit, nuptias non concubitus sed consensus facit, scil. consensus ibidem

B

non



non simplicem promissionem denotat, talis enim sine adimplerione adhuc nudus saltem sponsalia efficit. *l. 4. princ. ff. de spons.* sed solum illud ibidem deciditur, quod post interpositum conjugalem consensum, ubi sc. quis mulierem legitime in suam conjugem accepit, conf. Disput. de Dissensu utriusque desponsatorum Illustr. Dni. Stryckii §. 26. quamvis concubitus nondum inter- venerit, uxor tamen dicenda sit. vid. *l. 5. § 6. ff. de R. N.* Quod exemplum beatæ Deiparæ luculentum reddit, illam enim non (ut vulgo prætenditur) tantum spon- sam, sed veram uxorem Josephi, & nihilominus virgi- nem fuisse, textus Biblici de illa loquentes secundum literalem sensum clarè evincunt vid. *Luc. 2. v. 5. & c. c. 27. v. 41. & seq. cum simil. Can. Beata Maria; 27. quest. 2.* & in tota sacra scriptura sponsa ab uxore distinguitur; nec movet quod Deuteronom. 2. v. 23. & 24. dicatur, qui sponsam alterius violavit uxorem violasse & adulte- rium commisisse, mox enim in præced. vers. 22. uxor à sponsa distinguitur, & ibidem non forma conjugii, sed formalis conceptus adulterii indigitatur, qui in eo consistit quod partum alienum supponere ac fœminam in talè statum conjicere ausus fuerit, ex quo illa, violata, & non apta ad viri sui semen pro ipsius stemmatis pro- pagatione recipiendū, inveniatur, ad innuendum in ta- li sponsa, mox ex utriusque perseveranti consensu, uxore futura, propter suppositionem partus alieni, vel actum ad hanc tendentem, formale committi adulte- rium, æque ac in nuptam; cum ratio quoad proposi- tam adulterii quæstionem utrobique eadem sit.

Th. X.

Errant ergo gravissime qui personas invicem de-  
spon-



sponsatas invitas matrimonio jungi volunt, ex præten-  
satione, quod inter tales personas jam dum sit vincu-  
lum conjugale indissolubile, qui tamen sibimetipsis  
contradicunt, dum de illis qui ante benedictionem sa-  
cerdotalem corporis copiam invicem concesserunt,  
publicè ex suggestu, pro innuenda (ita dicta) poeniten-  
tia Ecclesiastica (cujus abusum ostendere præsentis in-  
stituti non est) declamare non verentur, tales personas  
præceptum divinum de non adulterando violasse &  
stuprum commisisse, limò meretricasse, quod sane de  
illis inter quos vinculum conjugale est, sine falsitatis  
nota dici non potest, & benedictio Ecclesiastica non  
præcepto aliquo Decalogi, sed lege mere humana, tan-  
tum pro meliori ordine uti infra demonstrandum in-  
troducenda est: Imo invitos, quamvis sponsalia ju-  
rata intervenerint, ad conjugium ineundum coge-  
re, non solum ansam gravioribus delictis (quæ &  
cogitando respectu Dei committuntur) præbet, sed res  
præprimis in viro naturaliter impossibilis est? Quis e-  
nim ad illum actum propter quem uxor ducenda con-  
stanter refragantem cogere poterit; Unde (quod ab  
Exc. Dno. Decano percepi) Facultas Theologica & Ju-  
ridica Rinthelensis ante aliquot annos in casu tali ad in-  
stantiam mulieris ita invito & debitum conjugale con-  
stanter denegantis junctæ, ad consultationem Electo-  
ralis Regiminis Mindensis matrimonium retro nullum  
judicaverunt, & ita separationem decreverunt.

Th. XI.

Neque tamen, sine omni effectu talia sponsalia  
esse, existimandum, sed si datam sibi invicem fidem si-  
bimet remittere velint, illud quidem inter partes, piis  
monitis locum non relinquentes, in patientia toleran-

B 2

dum



dum vid. *cap. 2. X. de Spons.* Illustris Dn. Stryk. *in alleg. disput. §. 23.* propter scandalum tamen (si quod revera datum) pœna aliqua coerceri possent, ubi vero altera parte consummationem promissionis factæ urgente, alter adimplere recusat, ad exemplum obligationis faciendi (qualis etiam hic revera subest) vel faciat, vel interesse præstet, vid. *ff. l. 72. ff. d. Verb. obl. l. 13. pr. & §. f. d. rejud.* quod interesse tam ex dotatione, quam ex injuria facta, pro modo circumstantiarum, prudens iudex æstimabit, & ad illud præstandum partem refragantem compellat, simul & propter fractam fidem & perjuriũ severe puniat, vid. *cap. 17. X. de Spons.* ne si refragantem Parochus copulare velit, illum tamen sanctum & Christianum conjugium inire, contra veritatem & conscientiam asserere opus habeat, hoc enim nisi sancte ac ex libero & plenissimo consensu ineatur, sanctum dici non poterit.

#### Th. XII.

Errant qui parti sponsalia confessæ retractare volenti, exceptionem ex defectu Parentum consensus concedunt, quod nihil aliud est, quam ex peccato & transgressione præceptorum Dei, alicui jus decipiendi alium, concedere, cum tamen ex delicto vel dolo proprio, nemini actio vel exceptio dari debeat. Equidem jure Romano matrimonium (& sic multo magis sponsalia) sine consensu Parentum initum, civili authoritate ipso jure nullum pronuntiatur *§. 12. junct. pr. §. de Nupt. l. 2. & 18. de R. N.* Sed hoc juri Naturæ & divino non satis conforme videtur, illud enim utriusque Parentis potestatem absolutam, ultra domestica ex educatione orientia officia non concedit, videatur *Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 5. §. 2.* & eleganter hæc deducentem Brouer. de  
Ju-



*Jure Connub. Lib. 1. c. 5. n. 10.* Jure Divino etiam Esavi conjugia, quamvis Parentibus ejus invitis contracta, nihilominus firma manebant. vid. Genes. c. 26. v. ult. & c. 27. v. ult. cap. 28. v. 6. & seq. vid. H. Gr. de J. B. & P. lib. 2. 5. n. 10. Potius ergo circa consensum Parentum statuendum videtur, liberos invitis Parentibus nuptias anhelantes, gravissime quidem in Deum peccare, ac benedictione, præcepto de honorandis Parentibus adjecta, sese defraudare, simulque, cum & Reipublicæ interfit auctoritatem Parentum in liberos conservari, non minus pœnis externis quam censura Ecclesiastica coerceri posse; Parentibus quoque concessa potestate tales transgressores propterea parte aliqua hæreditatis privandi, vid. Illustr. Dn. Lyncker. in Anal. ad Struv. Syntagm. J. C. Ex. 29. th. 23. jus vero sponsalia revocandi non aliter ipsis competere videtur, quam si liberi quoad alias ipsorum actiones adhuc in potestate parentum sint, & parentes ex justa vel probabili causâ sponsalia cum tali persona, quæ sciens alterum ita illegitime sibi obligari fecit, illa adimpleri nolint, dummodo tales liberi re plane integra ad pœnitentiam reversi, magis parentibus debitam obedientiam præstare, quam seducenti personæ fidem servare intendant; Imò licet in dictis circumstantiis res eo quod concubitus accesserit, amplius integra non sit, & hoc alterius quoque partis dolo ad excludendum parentum jus revocandi, factum fuerit, tamen postea superveniente pœnitentia, prædicta revocatio recte instituitur, dummodo gravis aliqua causa continuati dissensus subsit, & hoc sensu consentimus Dno. Brov. de Jur. Connub. L. 1. c. 13. n. 4. & 5. Huc quoque referendi sunt textus Exod. 21. v. 9. & 22. v. 16.



17. it. c. 34. v. 16. Deuteron. 22. v. 28. 29. it. 1. Cor. 7. v. 36.  
37. vid. Breu. d. tr. cap. 6. Si vero vel paciscentes promissis  
constanter stare velint, vel, uti plerumque inter plebejos  
fieri solet, quoad alias actiones suas a Parentum potestate  
non amplius dependeant, & altera pars ob justam ignorantiam  
alterius Parentum dissensus, innocens sit, injustum videtur,  
dissensui Parentum, ut plurimum non sine collusionem ac dolo  
partis refragantis supervenienti, in hac naturali obligatione,  
effectum civilem, illam revocandi, concedere, cum quoad retractandam  
fidem matrimonii, non tam de Parentum quam de liberorum  
commodo agatur, & fere absurdum sit, sanctam conjugii fidem  
ex dissensu Parentum magis violari posse, quam aliam obligationem,  
præprimis cum per illam tales liberi in novum delictum contra  
personam innocentem incidant, certum autem sit, etiam liberos  
in potestate constitutos, ex delicto alteri ad satisfactionem  
validè obligari, accedit quod liberi hodie matrimonium ineuntes,  
secundum communem Dd. sententiam, tacita emancipatione ex patria  
potestate exeant. Multo minus Parentibus forte interim mortuis,  
exceptio non impetrati consensus parentum, tanquam peccati contra  
Parentes commissi, refragantem prædicta satisfactione liberabit,  
ne ex exceptione propriæ turpitudinis & gravissimi commissi  
peccati ipsis aliquod jus concedatur, quod est contra omnem  
sanam rationem, quicquid etiam praxis nonnullorum judiciorum  
in contrariam habeat. Denique perfectum semel matrimonium  
sicuti per nullum hominem ita nec per Parentes resolvi poterit.

Th. XIII.

Similiter gravissime errant, qui promissionem  
ma-



matrimoniam factam confitentibus, aut convictis ob defectum præsentiæ testium, seu uti loqvuntur, ob clandestinitatem, exceptionem concedunt, cum nulla ratione niti videatur, quod sponsalia præcisè præsentiæ testium requirant; Cur enim absens fœmina per literas alicui desponsari non posset? aut si ambæ personæ sui juris, semotis arbitris super quocunque negotio licito, invicem validè obligari possunt; cur ergo magis fidem conjugalem frangere liceret? Potius ergo statuendum, quod sponsalia clandestina illa demum dicenda, quæ dolo malo in suspectis conventiculis, illicitis seductionibus, in fraudem tertii contracta, & hæc ratione personæ ita seductæ, si mox consensum mutaverit, nec eundem novo consensu confirmaverit, probato alterius dolo, iterum resolvendæ, tertius quoque, cui legitimum jus contradicendi competit, per talia sponsalia merito non excluditur: Ex illo vero ad alios casus generalem conclusionem formare, imo improbis deceptoribus puellarum, ex bona simplicitate credularum, ex proprio dolo, quod studio non adhibuerint testes, exceptionem concedere, injustissimum esse apparet, cum fides sine testibus data, æque sit fides, & inde si de sponsalibus, testibus licet non adhibitis, satis constet, illa merito vim obligandi habebunt. *Bruckn. Decis. matr. c. 2. n. 2.* Si vero altera pars promissionē conjugalem ipsi factam urgeat, altero constanter negante, & testes hic deficient, tunc rectè concluditur, propter clandestinitatem actus, actionem denegandam, nec facile delationem juramenti admittendam, propter gravissimum perjurii metum, qui in re tam ardua subesse videtur, & altera pars sibi imputare debet, quod in re tanti mo-

men-



menti, de probatione non magis sibi prospexerit, & sic clandestina sponsalia in tantum in quantum negata, actionem non producant, & ita hæc res pie decisa, in der Fürstl. Sächs. Gotha'schen Landts. Ord. p. 1. c. 8. t. 1. in pr. Contrarias de hac materia sententias diversorū invicem collegiorum juridicorum refert Dn. Herold in observ. forens Consul. Decis. 30. Si vero res non amplius integra sed concubitus accesserit, illumque alter fateatur, vitiata autem fuerit satis honestæ vitæ & famæ, tunc stuprator secundum jus divinum simpliciter teneatur stupratam in matrimonium ducere vid. Exod. 22. v. 16. Deutr. 22. v. 28. & 29. nisi hoc personæ tertiæ potius jus habentis interventus impediatur, forte quod stuprator uxorem habeat; &c. sive promissionem confiteatur sive non, cum de fæmina honesta non præsumatur, illam sine ipsi facta spe matrimonii libidinosos admisisse amplexus, nisi probet, personam violatam fuisse levis notæ, ac suspectos facilesque aliis quoque concessisse accessus, ex quibus de ejusdem virginitate vel honestate probabilis ansa dubitandi sumi posset; tunc enim concubitus sine probata promissione matrimoniali, illum non amplius obstringet, quam ut partum agnoscat eique de alimentis prospiciat, simul & stupratæ aliqualem satisfactionem præstet vid. Carpz. in jurispr. Consist. L. 2. t. 14. def. 228. Sola enim stupri confessio, nisi alia simul accedant, promissionem conjugalem in tali persona non inducit, sed potius suspectæ fæminæ juvenibus ex lascivia ansam ad concubitum dedisse præsumuntur vid. Bruckn. Decis. matrim. c. 2. n. 9. Et sic in prædictis casibus sine juramentorum ex actione aut præstatione, juxta claram Dei voluntatem res  
ex-



expediri poterit, imo debet. Quando vero & ipse concubitus negatur; ibi iterum distinguendum, utrum mulier stuprata nullis contra se militantibus prægnantibus indiciis gravata, sed extra hunc casum pro honesta virgine vel vidua hucusque habita fuerit, illaque quædam adminicula, scilicet conversationis familiaris, frequentis aditus, loci, temporis &c. contra alterum adduxerit, tunc illa ad iuramentum suppletorium merito admittenda; e contra, si fœmina suspecta probetur, stupri autem insimulatus bonæ existimationis sit, huic potius iuramentum purgationis injungendum: Si vero stuprata plane meretricem fuisse, i. e. vel corpore quæstum quæsiuisse, vel pluribus se se prostituisset & carnaliter commiscuisse probetur, tunc sine ullo iuramento ab actione instituta repellenda, quia iuramentum hoc casu exigendum, nec ad matrimonium, nec ad alimentationem partus incerti alterum obligare posset.

#### Th. XIV.

Matrimonium ipsum quod attinet, supra demonstratum, illius formalem conceptum consistere, in plenaria proprietate mulieris ad propagandum ex illa genus humanum, quæ ex consensu ad hoc negotium destinato oritur, qui talis præsupponendus, ut omnibus nationibus ac gentibus ab initio mundi usque huc communis sit. Unde apparet, admodum errare illos, qui benedictionem Sacerdotalem pro fundamento & forma matrimonii ponunt, ut eruditè probat Feldm. *Decad. 1. Dec. 8. n. 4.* Si enim hujus originem inspicias, invenies primos Christianos omnes fere contractus in conventu cœtus fidelium celebrasse, ut cuivis constaret absque omni fraude illud partibus placuisse, sic &

C

de-



desponsationes & maxime traditiones uxorum (quas nuptias vocamus) eodem modo celebrabantur, ubi Sacerdotes & Antistites tanquam primi in Ecclesia simul adstabant, & negotio peracto, ipsorum benedictionem & gratulationem addebant, precibus ad Deum fufis ut omnia cedant feliciter, qui pius mos, introducta Tyrannide Papali, ita in necessitatem conversus, ut matrimonium inter sacramenta numeratum, & non aliter nisi clericorum administratione & autoritate initiari posse, creditum atque injunctum fuerit; Postquam vero hoc sacramenti dogma rejectum, non quidem improbandæ constitutiones, quæ pro majori sanctitate hujus negotii, & ad eo magis evitanda alia inconvenientia, publicam ex suggestu proclamationem præmittendam, & in cœtu fideiũ instituendam publicam traditionem & benedictionem sacerdotalem requirunt, non tamen in casu, ubi constat, sceminam in uxorem sine præsentia sacerdotis consensu utriusque de præsentireceptam, illam eo minus uxorem, ac liberos ex tali conjunctione natos illegitimos esse, statuendum vid. *cap. 9. X. de Sponsat. & matrim. cap. 1. & 2. X. de Sponsa Dutor. Illustr. Dn. Stryk. tr. de Success. ab intest. diff. 1. c. 2. §. 49. Struv. Synt. 7. C. Ex. 29. tb. 26. esse vero essentielle matrimonii solennis cum approbatione civili & in foro externo tradit idem Autor in tract. de invocat. Nominis Divini c. 1. §. 17. Nec tale ex jure Naturæ & Divino (quod nullibi ministerium Sacerdotis in hoc negotio requirit) perfectum matrimonium dissolvi poterit, cum Christi præceptum de non dimittenda uxore, de illa quæ ex Jure Naturæ & Divino pro tali habenda merito intelligatur, quin potius illi, qui contra constitutiones, prædictas*

ctas



Etas solennitates omiserunt, tanquam transgressores legis Civilis externa civili pœna coerceri & ad illam adhuc superaddendam adigi poterunt: Ex quo simul constat, ex tali actu, ubi aulicus aliquis mortua uxore cum ejus ancilla confveverat, & cum illa aliquot liberos procreaverat, ad declinandam vero pœnam civilem & Ecclesiasticam, illam absentis ficti cujusdam viri conjugem, ab illoque liberos procreatos esse finxerat, & dum ad hoc probandum, ad gravissimas in contrarium militantes præsumptiones excludendas, in loco quodam remoto benedictionem sacerdotalem hi duo sub prædicto ficto nomine impetraverant, viro tamen usque ad extremum vitæ halitum constanter negante, illam uxorem ejus esse, ob solam inter hæc personas sub ficto alio marito interpositam benedictionem sacerdotalem, matrimonium non inducendum, uti in notabili casu in Vicini Potentiss. Principis aula multis argumentis sustinuit. Dn. Præses.

Th. XV.

Concubitus cum sponsa quod attinet, distinguendum, aut ille ita interpositus est, daß einer den andern nun mehr zum Ehegatten beständig angenommen und sie von solcher Zeit an Eheleute seyn wolten/ solennitatibus tantum in aliud tempus remissis, quod deficientibus aliis probationibus, & accedentibus quibusdam adminiculis, cæteris paribus juramento vitiatæ probari poterit, & tunc sine ulla exceptione, licet postea matrimonium aliud, benedictione sacerdotali intervenerit, prior pro legitima uxore habenda, & si aliam innocentem superinduxit, hæc quoque, & vir ut bigamus puniendus, quo pertinet, quod tradit. Carpz.



*in Juritprud. Consist. L. 2. tit. 2. def. 25. n. 6.* aut vero ille concubitus inter sponsum & sponsam. Sine novo declarato conjugali consensu, ex solo amoris impetu aut properata libidine ( quod ut plurimum in simili occasione præsumitur ) intervenit, & tunc quidem re integra, juxta supra explicata, matrimonium cum deflorata simpliciter consummare tenebitur; Si vero post concubitum cum sponsa, aliam ignorantem legitime & solenniter in uxorem duxerit, illa jam potius jus habens, primæ cedere non tenebitur, huic tamen improbus ille deceptor dotem dare, ac partum sub spe matrimonii futuri conceptum, favore hujus, utpote innocentis, pro legitimo agnoscere debebit.

Th. XVI.

Licet vero juxta retro deducta, per traditionem seu attributionem mulieris ad cohabitationem indissolubilem, & sic per mutuum consensum eo tendentem, matrimonium perficiatur, tamen hoc ad plenariam consummationem, actualem usum mulieris, seu concubitum ad propagandum genus humanum requirit, quæ consummatio quoque certos interdum producit effectus; Sic enim propter morbum fonticum & contagiosum, matrimonium nondum concubitu consummatum, recte dissolvitur. vid. Kitzel *de matrim. c. 8. th. 7.* Paul Zach. *quest. med. legal. L. 3. q. 6. n. 4.* Carpz. *Jurisprud. Cons. L. 2. def. 202.* vel potius propter deficientem plenarium consensum & dolum partis morbosæ, quæ vitium suum eousque occultavit, retro judicandum nullum: Si vero talis morbus demum post concubitum supervenerit, licet altera pars per cohabitationem, contagii periculum incurrare videatur, debent potius par-



partes in continentia fraterno amore cohabitare quam  
sefe prorsus separare *c. 1. § 2. X. deconjugio Lepros.*  
Quod enim ab initio constitit, & plane consummatum  
est, propter indissolubilitatem ex lege divina introdu-  
ctam retractari, nec tali casu mulier in integrum resti-  
tui potest, & hæc opinio fere communis est, vid. Struv.  
*Synt. J. C. Ex. 30. th. 40.* De Virginitate vero majus incidit  
dubium, hæc enim licet de essentia conjugii non sit, quia  
tamen sponsa virginitatem falso simulans, virum ean-  
dem præsupponentem decipit, hinc scemina primo  
congressu deflorata comperta (quod quomodo pro-  
betur, Medicis & Phycis relinquatur) merito repudia-  
tur, *Deuter. 22. v. 13. & seqq. & Math. 1. v. 19* Quod multo  
magis procedit, si sponsa ab alio ante sponsalia contra-  
cta imprægnata sit, (si enim imprægnatio post sponsalia  
contracta supervenerit, mulier adultera erit, juxta  
*th. 9.*) & hoc ultimo casu, si marito etiam post consum-  
mationem per concubitum facto, demum de eo consti-  
terit, mulierem talem propter dolum & deficientem  
personæ necessariam conditionem, repudiari posse  
puto; nisi & maritus illegitimi antea procreati & sponsæ  
uxorive hucusque celati partus convictus fuerit, hoc  
enim casu in pari turpitudine constituto, actionem de-  
negandam recte responderunt J. C. Rintelenses, in ca-  
su quem reticere malo. E contra vero, virgo juveni nu-  
pta, ob compertam hujus scortationem commissam,  
ante initiationem matrimonii quidem, non vero post  
illud initum divertere poterit, cum uxor propter mari-  
tum creata, non maritus propter uxorem; imo mulier  
magis amore suo illum, cui florem virginitatis decerpe-  
re permisit, quam alium, quem forte magis persuasio-

C 3

ne



ne aliorum, quam propria inclinatione in matrimoni-  
um duxit, prosequi, nec defloratori concubitum impo-  
sterum denegaturam praesumitur, quod confusionem,  
vel ad minimum incertitudinem partus causaret, &  
conjugalem amorem prorsus dissolveret; per mariti  
vero congressum cum alia, finis matrimonii non impe-  
ditur. Unde quoque gravissime Dd. communiter er-  
rant, quando ob adulterium viri, licet cum uxore alte-  
rius commissum (si propter hoc morte non puniatur)  
à viro divertere mulieri concedunt, cum nec naturalis  
ratio, nec ullius gentis mores uxori jus repudiandi vi-  
rum concedant, & Christus in repetita lege de matri-  
monio propter adulterium dissolvendo, hanc potesta-  
tem expresse viro tantum ob adulterium uxoris con-  
cesserit, nec in contrarium movet, quod Apostolus di-  
cit 1. Cor. 7. v. 4. virum non habere potestatem corporis  
sui, sed uxorem, cum ibidem de continentia sine uxoris  
consensu non servanda, proprie agatur, neque ibidem  
ullum Jus divertendi a viro mulieri concedatur. Ne  
tamen quis existimet, quod majorem in viris li-  
bertatem, pravam exercendi libidinem admittere ve-  
lim, pro indubitato pono, omnem copulam extra con-  
jugium esse illicitam vid. Struv. *Synt. J. C. Ex. 29. D. 25.*  
& viros praevalemiam sexus, quam maxime eminentia  
virtutis & castitatis ostendere debere, ac indistincte  
se se regno caelorum defraudare, qui talia committunt  
vid. 1. Cor. 6. v. 15. & seqq. *Ephes. 5. v. 5. Coloss. 3. v. 5. 1. Thess.*  
*4. 3. Hebr. 13. 4. & 5.* ex illo tamen nullum jus virum repu-  
diandi uxor consequitur, cum plane alia hic subsit ratio  
quam in casu inverso quod conflictus ostendet; Si vero  
contingat, ut quis viduam pro virgine in uxorem du-  
xe-



xerit, is, cum in castitate non fuerit deceptus, nullam plane habet actionem, error enim semper nocere debet erranti, nisi circumstantia illa in qua erravi, promisso per modum conditionis fuerit adjecta. vid. Dn. Thoma. in *Jurisprud. Div. L. 2. c. 7. §. 39. & seqq*

Th. XVII.

Cum apud omnes vero in confesso sit, quod ob generandi impotentiam impuberes ad conjugium non admittantur, non video ex quo fundamento vetulæ cum juvene matrimonium admittant, cum nec hic ille finis sperari possit; potius fœdi quid contineant impares ejusmodi nuptiæ, ac neque spem proles, neque solatium vitæ neque honestum adversus carnis stimulos quæsitum remedium conciliet tale matrimonium; sed in anu stulta venus & monstrosa lascivia inspicitur. *Brover. de Jur. Connub. L. 2. c. 3. n. 31.* Nec mirum ut plurimum ejusmodi matrimonia minus felicem sortiri exitum, cum irrationabili superstruantur fundamento, irrationabilis enim amor pecuniæ, aut officii cupiditas hic paramymphæ esse solent, nec perpetua animorum & corporum conjunctio sperari potest, sed maxime metuendum est, ejusmodi juvenem alienos meditari amplexus, ad minimum certum est, illum mortem suæ vetulæ anxie expectare, & a natura ad propagationem sui similis concessa interim inutiliter profundere; Unde pii Magistratus tales conjunctiones merito prohibent. Nec multo aliter in matrimonio prorsus enervati senis cum juvencula procedendum videtur, & quamvis hujus, non æque ut vetularum prorsus sit inutilis venus, propter spem proles, quæ in iis reliqua esse posset, tamen quamvis adhuc aliqua conjunctionis & proles spes su-

per-



peresse possit, adhortandi tamen sunt, ut ab eiusmodi nuptiis abstineant, aut si indigeant conjugali solatio, inque iis præter naturam lasciviat natura, non tamen facile jungant se florentis ætatis virginibus; Senectus enim ipsa morbus est, & ejusmodi calores Senum non admodum diu durare solent, cum calor puellaris nimis violentus sit ut senili compescatur frigore, ut recte hic proverbium sibi locum vindicat. Senes qui juvenculas ducunt, in vivum sepulchrum properare, & equas scandere, quibus vehantur ad inferos. His tamen maxime obstare videtur exemplum Regis Davidis, qui neque ad liberos gignendos, nec etiam ad ustiones extinguendas, quippe utrique isti fini obtinendo corpus ejus senile, Scriptura S. teste exaruerat, sed ad illud calefaciendum, & alia adjutoria præstanda, Abisag Sunamidem in uxorem duxit vid. 1. Reg. c. 1. v. 2. & 4. Sed breviter respondeo, minime hic subfuisse verum matrimonium, & Adoniam a fratre Salomone non propter prætentum incestum cum dicta Abisag, sed attentatum perduellionis crimen, morte punitum fuisse. Hæc sunt B. L. quæ de hac necessaria & utili materia currenti calamo colligere potui, ex quibus tanquam generalibus fundamentis multi alii errores facile convelli poterunt, quæ omnia hic prosequi temporis ratio non permisit. Interim leve hoc specimen tuo B. L. favori commendo.













Halle, Diss., 1696 A-7

ULB Halle 3  
005 303 397



TA-OC  
wolle nicht verknüpfen

VD 17









DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS

*Exhibens*

1696, 7a  
72  
**ERRORES COMMUNES CIRCA MATRIMONIALIA,**

*Quam, Favente Summo Numine*

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO*

**DN. FRIDERICO WILHELMO,**

ELECTORATUS BRANDENB. HÆREDE &c. &c. &c.

*AUTORITATE ILLUSTRIS FACULTATIS JURIDICÆ*

PRÆSIDE

**DN. HENRICO BODINO,**

Potentissimi Electoris Brandenburgici Con-

siliario Ecclesiastico in Ducatu Magdeburgensi gravissimo, Profe-

sore Juris Ordinario, Celeberrimo, & Facultatis Juridicæ

*h. t. DECANO,*

*PATRONO SUO COLENDO,*

**PRO LICENTIA**

Summos in Jure honores & privilegia consequendi

D. XXIV. Mart. horis ante & pomeridianis

IN AUDITORIO MAJORI

*Publica Eruditorum examini submittit*

**JOHAN HELFRICH SANDRA,**

Hasso Casselanus.

HALE MAGDEB. Literis Christiani Henckelii, Acad. Typ.

